

delectos, ex pijs, grauibus & sanctis viris, qui disciplinae Ecclesiasticae ita praerant, vt publice tamen non docerent. *1. Timoth. cap. 5. vers. 19.* Cate-
 rum ad ministerium Ecclesiae referuntur etiam aeditui, cantores, & oe-
 conomi bonorum Ecclesiasticorum, quatenus quidem hi à diaconis di-
 stinctam sustinent personam. Atque hi sunt gradus fundamentales hie-
 rarchiae Ecclesiasticae, qui subdividuntur in gradus honorarios pro
 necessitate & diuersitate singularum Ecclesiarum. Sic exempli gratia in pri-
 mitiua Ecclesia pastores vocati fuerunt presbyteri: qui ex suo numero in
 singulis ciuitatibus vnum deligebant, quem Episcopi titulo peculiari et
 insigniebant, cuius autoritate vnanimis presbyterorum consensus re-
 tineretur. Quod si amplior esset ager, qui sub vnius Episcopatu erat,
 quam vt sufficere omnibus vbique munis Episcopi posset, per ipsum a-
 grum certis locis designabantur ex presbyteris *Chorepiscopi*, qui in mino-
 ribus negotijs vices Episcopi obirent, & per ipsam prouinciam Episco-
 pum repraesentarent. Et hi quidem tum Episcopi, tum Chorepiscopi
 non erant superiores reliquis presbyteris dignitate, honore vel domi-
 nio, sed tantum ordine politae. In singulis quoque prouincijs inter
 Episcopos *Archiepiscopus* fuit constitutus: vt si quid in Ecclesia qua ibet
 incidere, quod ab Episcopo non satis recte expediri posset, ad Archie-
 piscopum referretur, perque illum in Synodo decideretur. Alicubi et-
 iam *Patriarchae* fuerunt constituti, qui Archiepiscopis non quidem ho-
 nore, (ita enim pares sunt omnes doctores verbi,) sed tamen ordine &
 autoritate superiores erant & res maximi momenti, quarum difficul-
 tas ab Archiepiscopis superari non poterat, in Synodo proponebant,
 atque ita dijudicabant, vt ab ijs non esset irrouocatio, nisi ad vniuersale
 concilium. Porro cum temporis progressu, & Ecclesiae ita crescerent,
 vt presbyterorum in verbo laborantium, id est pastorum numerus non
 sufficeret, & dissidia atque schismata magis magisque orientur, pres-
 byteris quoque, qui disciplinae praerant, & diaconis, qui pauperum
 curam gerebant, praedicandi munus commissum fuit. Porro clericorum
 nullae erant partes in administratione Ecclesiastica, sed exercitia & pro-
 gymnasmata sua habebant in collegijs tanquam seminarijs, vt ad fun-
 ctiones Ecclesiasticas paulatim praepararentur. Vnde illis vtrunque
 iam imbutis sacrae doctrinae fundamentis primo cura aperiendi & clau-
 dendi templa fuit commissa, vnde appellati fuerunt *Ostiarij*. Postea
 vocabant *Acoluthos*, qui Episcopos comitarentur: dehinc *Lectores*,
 qui publice in suggestu caput Biblicum legerent: denique *Hypodiaco-
 nos*, qui suam operam impenderent *Diaconis*, quorum officium e-
 rat oblationes & collectas fidelium quotidianas, & annuos Ec-
 clesiarum prouentus recipere & in vsus destinatos conferre;

Aaaaaa 2

Epi-